

Quaestio medica ... An in biliosis, gelida glaciaticque liquores bradypepsiam praecavent? / [Pierre Joseph Macquer].

Contributors

Macquer, Pierre Joseph, 1718-1784.
Bellot, Louis Florent, active 1733-1759.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1741]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/azbfhtmm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Sabbati vigesima-
septimâ Maii M. DCC. XLI.*

M. LUDOVICO FLORENTIO BELLOT,
Doctore Medico, Præside.

An in Biliosis, Gelida glaciatiq̃ue liquores Bradypepsiam præcavent.

I.



U A M à querelis orditur, vivitque planctus inter & miserias, vitam, eam homini gaudio temperare vix concessum est. Adeò rarum humanitatis & indolentiæ consortium! Natis, ut crescendi, sic & ægotandi necessitas; nec ærumnarum est finis adolescentiæ terminus. Scilicet nulla non ætas sibi familiares experitur morbos, ut plurimum *idiosyncrasia* fœtus aut comites. Insuper totum vitæ spatium turbant anni tempora. A quorum vicissitudinibus & injuriis non semper vindicant firmior corporis textura, consuetudo, frugalitas. Undique mala circumveniunt; metuendum ab animo, sexu, regione, quiete, exercitio, satietate, abstinentiâ. Tandem ingruit senectus, aut, quod idem est, infirmitatis complementum. En homo quemadmodum vivit; en quemadmodum

A

morborum procellis objicitur, quas & providere & antevertere curat ὡς ἔστιν. Quæ medicina pars præstantissima, sanis & imbecillis ita consulit, ut quod vel corporis, vel loci, vel victus, vel exercitii ratio detrahit, aut implet, restituendo & extenuando, studeat emendare. Rarò quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet. Quod, & si de omnibus à Celso dictum accepimus verumque confitemur, de Biliosis præsertim asserimus, quibus calidam temperiem natura finxit. Siquidem eos vexare solet Bradypepsia, agrotationis genus molestissimum, imminētis melancholiæ, contumaciumque morborum prodromus, ventriculi aliorumque viscerum chylosi famulantium vitio tribuendum. Hoc affectu tentatos non semper tenet ἀνροξία, rarò exercent nausea, vomitus, oris amaror, diarrhæa, & alia quæ ἀπεποσίαν assidue comitantur symptomata. Idem illis, ac stomacho bene valentibus, cibi potusque desiderium, eadem in degustando voluptas est. Dum comedunt, beatos dicerēs, dum digerunt, infelices. Expletam enim famem, paulò post sequuntur corporis gravitas, genarum rubor, veterinosus capitis torpor, præcordiorum inflatio, alta respiratio. Interpositis aliquot horis, gravatum assumptis stomachum declarant oscitatio, pandiculatio. Is, non sine aliquo doloris sensu distenditur, & ægrè, quasi concussus identidem jactatur. Attolluntur hypochondria, inflatur abdomen, inquietum corpus stare loco nescit. Tunc fauces irrigat uberior salivæ proventus. Cum quâdam pectoris angustia, repetitisque præcordiorum succussibus erumpunt ructus, nihil rancidi, nidorosi nihil, nihilque ex assumptis redolentes. Interim præcipientes è stomacho flatus intestina turbant tenduntque. Quorum anfractus cellulasque suis turbinibus dum subeunt, si quis obex viam præpedit, eunt redeuntque incertis vagantes sedibus, quò ruunt, quò conflunt, murmura, dolorem excitaturi. Hanc strepentium ventorum procellam fovet, pertinaciter astricta Biliosorum alvus. Verùm hæc, licet molesta, tolerabiliora forent, si, sumptis per diem epulis, tantum contingerent. Illud enim habet commodi dies, quod corpori tempus exercitationi præstet opportunum, undè dicta mala quadantenus sublevantur, & vario rerum spectaculo, mentem à dolore quodammodo distrahat avertatque. Quæ solatia cum nox non afferat, scire licet, à canâ, graviores noxas imminere. Humanam satietatem, in cæteris, placidior excipit somnus, qui, tardè digerentibus non melior, sed asperior, vitæ pars esse solet. Somni quippè dulcedinem adimunt crebrius validiusque pulsantes arteriæ quæ caput malè feriunt. Mutat sæpè locum corpus, modò in alterutrum latus recumbens, modò supinum, modò erectum, prout respirationi serviendum est. Borborygmis obmurmurat abdomen. Arietant in epigastrium arteriæ. Inter hæc, si quid obrepit somni, vanis abstrusisque imaginibus terretur animus. Est ubi, inter soporis initia, versus costas sublato diaphragmate, coercitisque in œsophago flatibus, æger tantum non suffocatus excutitur, attonitusque vires recolligit, ut forti inspiratione compressi, qui stomachum œsophagumque distendunt, venti fursùm sibi viam facere cogantur. Sic miserè torquentur, sic medias sæpè noctes transigunt, quorum stomachus ventorum patria est. Atque utinam tandiù vexatum corpus reficeret superveniens sera licet altissimi soporis quies. Sed somno etiàm longissimo, non capitis vigor, sed hebetatio, non oculorum acies, sed caligo, non corporis vires, sed languor succedunt. Quæ tamen exercitio paulatim evanescent. Hæc tardè concoquentium mala, pro assumptis modò leviora, modò graviora, accerfunt calor, & quæ à calore pendent, acrior humorum crasis, auctaque fibrarum contractio.

CHOLERICORUM declarant temperiem principia, quæ bilem componunt. Illa videlicet, ut sapo, pinguibus *alkalinis*que constat partibus. Quod & sensuum evincitur testimonio, & usu *analytice* comprobatur. In iis ergo, quorum sanguis ad *alkalinam* vergit indolem, redundat bilis, quæ eò acrior, quò minus pinguibus temperatur particulis. Hinc obesorum bilis hebetior, gracilium amaricantior & majoris potentia. Hanc autem sanguinis idoneam bili generandæ crasim à calore foveri, nullus inficias iverit. Planum enim est omnibus non solum imminui, sed & refrenari bilem, ab iis quæ motum sanguinis tardant, dum eam augment & exasperant quæcumque fibris stimulum addunt, aut humoribus impetum. Quid præterea, salibus in sanguine contentis acrem *alkalinam*que conciliaret indolem, nisi calor, à quo partes aqueæ dissipantur, salinæ verò evolvuntur vimque suam recipiunt. Itaque, biliosos calido præditos temperamento asserere ne dubites, eorumque fibras, hæc de causâ, fortius tendi, validiusque contrahi. Quid enim aliud indicarent pulsûs celeritas & magnitudo, Biliosorum ad iram veneremque proclivitas, eorumdem edacitas viresque, quibus labores ferunt quàm durissimos. At ex ipso virium fonte, si plurimum vigoris muscoli trahunt; multiplices exurgunt causæ à quibus abdominis viscera debilitantur. Quapropter suspecta, habere sua bona debent Biliosi, dum corporis robur intendi sentiunt. Caveant igitur, ne libidini aut gulæ plùs æquo indulgeant, moderandisque potiùs quàm concitandis viribus studeant. Quemadmodum enim in pituitosis à redundante sero emollitæ fibræ laxantur, sic à calidis acribusque, qui in Biliosis prædominium obtinent, humoribus sollicitatæ rigescunt, & ad resiliendum promptissimæ fiunt. Illa vero fibrarum contractio, propulso à corde sanguini, viamque per arterias ad abdominis viscera molienti, majores, quam alibi, resistentias opponit. 1°. Quod reflexæ magis & implicatæ sint, quæ ventriculum, intestina & mesenterium alluunt, arteriæ. 2°. Quod ubi causa contractionis accedit, earum diametri magis etiam angustentur, ut potè quod nullæ consistentes partes circumjaceant, quibus illarum parietes sustineantur. 3°. Quod in dictis partibus, & majori nervorum apparatu instructis, & ipsam bilis materiem suppeditantibus, causa contractionis procùl dubio fortior est. 4°. demùm, quod, eadem de causâ, pigrè admodùm ad venam portarum progrediens sanguis, alii, per ultimos arteriarum recessus, idem iter pone facturo sanguini, non leve affert impedimentum. Ex iis, & Bradypepsiæ, causam & Symptomata quæ hoc vitio laborantes malè habent, tutus inferas. Nec diversum sentiet quisquam, nisi negaverit, à fervido sanguine, validissimo cordis impulsu, ad abdominis viscera indefinenter protruso, ibique, ob superandos obices, moras neſtente, æstum & ardorem suscitari. Negabit autem nemo, nisi in medicinâ hospes aut inexercitatus. Quis insuper inficias iverit, in angustatis contractisque extremarum arteriarum sinibus, secernendos humores premi magis quàm impelli, plus densari quam dividi, at proinde lentos esse succos quos ventriculi & intestinorum glandulæ fundunt. Undenam autem digestionis opus tardaretur, nisi quod segnior foret in alimenta fibrarum ventriculi motus, & hebesceret succi gastrici vis diluens dissolvensque? Siquidem, contractis plùs æquo ventriculi fibris, ingesta coerceri, non atteri, iisdem nimium tensis, non subigi, spisso pigroque succo gastrico, malè dilui, in confesso est. Quæ quidem impedimenta cum foveat Biliosorum temperies, quid mirum si Bradypepsiâ tam frequenter divexentur, si semper calidioris victûs errores juventutisque delicta luat eo-

rum stomachus. Neque enim diutiùs in ventriculo morari non possunt ingesta, quæ vix penetrat diluitque succi gastrici vis obtusior, neque non rarefcere aër quem expandit ipsius ventriculi fervor. Sic expansi aeris, & calore continuo rarefacti, quæ sint vires, si noveris; nec stupebis distentum, ad dolorem, ventriculum, nec præcordiorum inflationem, nec difficilem respirationem, nec capitis torporem, aliaque lentæ concoctionis symptomata, mirabere.

I I I.

PRISCIS temporibus, solâ hortante naturâ ducti homines, varias invenêre refrigerandi potûs artes, quò sitim fallerent, ardoremque viscerum restingerent. Hunc ad finem, vinum & aquam in puteis suspendebant, aut noctû frigidis ventis expositos liquores, ante solis ortum foliis lactucæ vitisque cooperiebant, ut frigus, quod nox dederat, interdiû conservaretur. Verùm, ubi Luxuria mores Romanorum ad voluptatem vertit, excogitatum est, quomodo mensibus æstivis servarentur nix & glacies, quibus poculentis frigus induceretur. Hinc glacie vinum diluere usitatum est, & Nerone auctore, decoctam priùs aquam, circumpositâ nive refrigerare. Sed has Romanorum lautitias longe superat ætas nostra, quæ eò devenit industriæ, ut, Sirio ardente, non solùm frigescere liquida jubeat, sed etiam glaciem ipsam ipsamque nivem cogat æmulari. Stuperes artificium, quo fructuum horariorum succi, *melca*, caleus, *aphrogala* aliive liquores, horæ momento, gelu indurescant. Congelandus liquor, admixtis primum saccharo, aliisque, quò palato magis arrideat, condimentis, in vas tenue ferreum demittitur, alio amplioreque vase, continendum. Huic trita glacies affunditur, quæ medii vasis externos, continentis internos, circumdet parietes, adeoque patens inter utrosque spatium impleat. Quò congelationis opus maturiùs perficiatur, duplici glaciei parti, salis marini unica portio additur, ut videlicet, promptiùs liquatâ glacie, soluta frigoris spicula densiori agnime liquorem subeant. Intensissimo gelu percitus, dum solidam formam acquirere cogitur liquor, artis est, interioribus medii vasis parietibus adhaerentem glaciem cultro scalpere, ut in minimas partes divisa concreseat & levitate nivem referat. Quid non ingeniosa sitis commenta est? Quid non potuit humanæ industriæ stimulator & concitator luxus? Portentum diceres æstate mediâ, cum immoderato calore deflagrat aër, algere mensas, micare in scyphis deauratisve calicibus versicolores pruinas, multiformemque glaciem. In his deliciis quæ jucundè pascunt oculos, quas nulli, nisi frigidioris naturæ, non appetunt, habent Biliosi unde voluptati simul & valetudini consulant. His etenim, amico frigore recreantur fauces, alimentorum promovetur concoctio, viscera defervescent, mollescit fibrarum rigor, humorum temperatur motus, eorundem acrior indoles emendatur, inhibita demùm reficientium succorum diffusione, uberius corporis universi perficitur nutritio.

V

QUANTUM conferat ad sanitatem longævitatēque ciborum perfecta concoctio, ex eo potissimum evincitur, quò primæ digestionis vitia, in suam perniciem, trahant cæteræ corporis partes. Indè patet quæ ratio habenda sit Cholericis, ut ea præcaveantur impedimenta, quæ stomachum a suâ functione disturbant. Id emolumenti in decoctis infusisve calidis frustra quæreres, iis

enim non reprimatur celerior sanguinis motus, sed augetur; non imminuitur, sed promovetur, humorum evolutio; non humidi prohibetur exhalatio, sed sudores eliciuntur. Quæ cum biliosæ temperiei plurimum adversentur; Brady-pepsiæ causam invitares, nedum arceres. Nec meliore ductus genio Cholericis, ad roborandum præmuniendumque ventriculum, aromatis carminantibusque conditos offerres cibos. Scilicet his mali fomes accenderetur. Calida, quæcumque sint, respuit Biliosorum natura, quæ frigidis humidari postulat. Vis igitur stet, in iis, vigeatque digerendi facultas? Gelidâ glaciatisque liquoribus audacter se proluant. Quid enim requiritur, ut alimentorum concoctio ritè peragatur? Sua nempe adsit liquoribus dissolventibus vis & *energia*, subigendi quoque, ventriculi fibræ, potestas servetur. At epotâ gelidâ, assumptisque glaciatis liquoribus non modò optatus hic scopus attingitur, sed etiam longè removentur causæ, quæ mutuam hanc, quâ *chylosis* indiget, actionem, aut lædunt, aut interturbant. Recepto, intra ventriculum, amico frigore, expansi nimium aeris vires non experiuntur fibræ valentiores factæ, nec tumentem stomachum arguit difficilior respiratio. Sic igitur agunt, in alimenta, subigentes solidorum potentia. Nec eadem de causâ, major faciliorque esse non potest ingestorum dissolutio, cum ex recreatis faucibus uberius scaturiat saliva, cum insuper illius, succique gastrici vires plurimum adjuvent gelidi liquores. Siquidem, dum motu, nativoque ventriculi calore, paulatim liquantur frigida spicula quæ liquidas minimasque partes coercebant, hæ statim atque expediuntur, quasi facto vortice ruunt in obvias alimentorum partes, repetitis motibus, brevi dividendas. Hinc glaciei nivique, dum liquefunt, tantum inesse virtutis ad dissolvendum, nemini non obvium est. In solvendis autem comminuendisque cibis, illud habent utilitatis frigida, quod, sensim tantum, mobiliores eorum moleculæ expediantur, unde singularum, separatus quidem, sed continuus, in vicina, impetus. Sic sejunctis à se invicem, nihilominus tamen agentibus, aeris partibus, minuuntur ritèque solvuntur alimenta. Sic elaterii moderatore frigore, non distenduntur, sed liberè moventur ventriculi fibræ. Sic etiam, amicè conspirantibus moventium ac diluentium viribus, non turbida concitatur fermentatio, non exoritur ventosa tempestas, sed perfectior conficitur, placidiorque ciborum concoctio. At frigoris beneficia partiuntur, cum ventriculo, cætera quæ apparant Chymum abdominis viscera. Quibus quantum decedit æstus, tantum fibræ mollietiei, tantum vasis diametri, tantum proinde fluxuro per ea sanguini, loci facilitatisque, accedit. Puriores inde Pancreatica intestinalisque lympa, fluidior bilis, expeditæque musculares intestinorum fibræ, suum facile ad perfectam chyli elaborationem conferunt symbolum. Ille demum, non crassioribus scatens ramentis, sed laudabili succo dives, æquo pede per vasa lactea progreditur, novamque suppeditat sanguini materiem, arteriarum motui promptam obsequi, nulli non diametro aptari facilem, fibræ molliem, cunctis partibus nutrimentum allaturam.

V.

BRADYPEPSIÆ causam, ingruentesque flatuum procellas, in Biliosis, frigido pituitâque madenti ventriculo, malè, cum Medicorum vulgo, assignares. Frigidæ corporis plagas non instant venti. Cachecticorum, Phlegmaticorumque gelido stomacho parcat, qui Melancholicis, Atrabilariis, Biliosisque ferè semper insultat, Æolus. Quid aliud, præter siccitatem & æstum, sus-

citatamque inde fibrarum corrugationem, arguit, tardè digerentium alvus ad-
 strictior? Quid indicant, nisi concitatiorem sanguinis motum, exhaustasque adeo
 minimorum vasorum fibras, & sibi, magis quam par est, adhærentes, Bilioso-
 rum gracilitas & macilentia? An non etiam viscerum abdominis contractio-
 nem, difficilesque idcirco reduci fervidoque sanguini vias commonstrant,
 frequentes Cholericis Hæmorrhoidum cruciatus. Humidi frigidique penuriâ,
 si quæ laborat, maximè biliosa temperies. Quæ si in eo dolenda est, quod ex
 caloris exuberantiâ, plurimis pateat incommodis, illud tamen habet commo-
 di, quod suavissimo potu, se ab iis immunem liberamque servare valeat. Ge-
 lidâ igitur congelatisque liquoribus Biliosi solatium quærant, & unde adversæ
 valetudinis præsidia firmentur. Caveant tamen ab ingluvie, quæ ventriculo
 intestinisque gravis esset. Nec, cum omnium Biliosorum viscera non idem
 ardor depascatur, eundem omnibus refrigerationis gradum utilem esse cense-
 mus. Calorem temperare volumus, non extinguere. Stomacho etiam malè
 consuleret Biliosus qui glaciatis tantum liquores assumeret, quorum refrige-
 randi virtutem infringeret, facta calidis aromatisque conditio, quæ, si quid vo-
 luptatis, nihil certè utilitatis habet. Alias quoque cautiones desiderat gelidæ
 potus, qui pueris senibusque minori, quam mediis ætatibus, adjumento est,
 neutiquam tamen, dummodo assueverint, nocumento. Neque sibi prospiceret
 qui contra consuetudinem, à calidis, ad frigida pocula, subito transiret. Pau-
 latim id fieri necesse est, si sanitatem deliciis anteponas. Objicient forsan
 matutinæ *thermoposie* amatores, à gelidis liquoribus, faucibus induci raucita-
 tem, pulmonibus catarrhum, ventriculo & intestinis dolorem. Ita est non-
 numquam, sed inassuetis incommodat gelida, cujus salutarem efficaciam fre-
 quentior usus commendat. Caterum, non Phthisicis, non Asthmaticis, non Cau-
 sariis, non Pituitosis, non ab immodico labore sudantibus, sed sanis sed Bi-
 liosis, glaciem præscribimus. Frustra etiam argueres, refrigeratis visceribus,
 imminuto proinde sanguinis motu, præstò sequi plurimorum morborum pa-
 rentem, obstructionem. At freno, non calcare indiget Biliosorum sanguis.
 Nec est quod ventriculi fabricæ gnarus, Hippocratisque fretus testimonio,
 clamites, frigus esse nervis insensissimum. Illud idem cum Hippocrate, de
 intempestivo frigore, libenter annuimus. Biliosis autem non intempestivè dari
 frigidam auctor est ipse divinus senex; frigidissimi potus usum, non modo
 valetudinis tuendæ causâ, sed etiam juvandæ coctionis, plurimum valere, op-
 timi, inter diæteticae medicinæ principes, Celsus & Galenus, prædicarunt.
 Ventribus, ejusdem Hippocratis judicio, sæviante hyeme calidioribus, idcirco
 consultum voluit natura, dum liquida gelu constringit. Hac enim tempestate
 ideo celerior concoctio, quod frigidior potus. Quid plura? Tardo pigroque
 sanguini planiori sternendæ viæ, antevertendis ideo obstructionibus, rum-
 pendisque obicibus, aptissimum esse liberaliorem gelidæ potum, probant
 sanati hæmorrhoidum pertinacissimi dolores, quos incalsum oppugnave-
 rant iterata phlebotomia, balnea, fomenta, congregataque internorum di-
 luentium familia. Perpendas, quantum prægnantium stomacho, negotii face-
 sat refluus lentescensque sanguis; quot ex hoc fonte læsam concoctionem co-
 mitantia symptomata pullulent. Hæc, licet remedium omnium vim eludere
 soleant, fugant tamen, nec rarò, glaciati liquores. Siculos, Hispanos, aliosque
 calidarum regionum incolas interroga, undenam apud eos grassari desierint pe-
 stilentes putridæque febres, quæ, quotannis, numerosissimam hominum pro-
 lem è medio tollebant; à gelidæ potu, primarum viarum obstructiones, flu-

Handwritten text at the top of the page, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text in the upper middle section, including a date that appears to be "A.D. 1751".

Handwritten word or phrase, possibly "and".

Handwritten word or phrase, possibly "and".

Large block of handwritten text at the bottom of the page, spanning across the width and partially obscured by a large stain.